Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8456
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

Iste confessor domini sacratus sobrius castus fuit et quietus vita dum presens vegetavit eius corporis artus. ℣. Ad sacrum cuius tumulum versibus sequentibus. Cetera omnia ut supra de confessore et pontifice dicantur. lectio prima

Dominicus sermo quem debemus omnes non solum studiose attendere verum etiam sapienter audire. cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire. moderacionis sue tenens ubique temperiem. ut nec ovibus desint pabula. nec pastoribus alimenta. quedam specialiter solis precipit nobis. quedam vero generaliter et nobis et vobis. Nobis namque id est servis quos idem paterfamilias rerum omnium dominus ad hoc in sua magna domo constituit. ut populo eius verbum gracie ministremus. specialiter iniungitur scilicet predicacionis officium. generaliter vero nobis et vobis salutaris indicitur obediencia mandatorum. Tu.

In quibus denuo mandatis tamquam ditissimis ferculis sic celestium deliciarum copia spiritualis exuberat ut in verbo dei abundet quod perfectus comedat. abundet etiam quod parvulus sugat. Ibi est enim simul et lacteus potus quo tenera fidelium nutriatur infancia et solidus cibus quo robusta perfectorum iuventus spiritualia scilicet virtutis accipiat incrementa. Ibi prorsus ad salutem consulitur universis quos dominus salvare dignatur. Ibi est quod omni etati congruit. Ibi quod omni professioni convenit. Ibi audimus precepta que faciamus. ibi cognoscimus premia que speramus. Ibi est iussio que nos per literam doceat et instruat ad scientiam. ibi promissio que per graciam trahat et perducat ad gloriam. Tu.

Servorum igitur ministerium quos populo suo preposuit dominus. speciale volens officium demonstrare ait quod ex evangelio modo audivimus. Quis putas est fidelis dispensator et prudens quem constituit dominus super familiam suam ut det illis in tempore tritici mensuram. Quis est iste dominus fratres. Christus sine dubio qui suis discipulis ait. Vos vocatis me magister et domine et benedicitis. sum etenim. Que est etiam huius domini familia. Nimirum illa est quam ipse dominus de manu in-